



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Divi Bambergenses S. Henricvs Imperator S. Kvnegvndis  
Imperatrix S. Otho Episcopvs**

**Gretser, Jacob**

**Ingolstadii, 1611**

XXVI. Epistola Jnnocentij II. Pontificis ad Adalbertum Archiepiscopum  
Moguntinum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41527**

quam occludemus. Hoc decet fratres de se inuicem arbitrari, & non ex rumoribus vulgi, siue ex suspicionibus, de nondum benè compertis quenquam calumniari; sed omnia, præsertim in negociis fratrum & amicorum in meliorem partem interpretari. Quid plura? nobis & nostris, sine retractatione, prout velitis, iuxta meritum vestrum vtimini.

XXVI.

*Epistola Innocentiÿ II. Pontificis ad Adalbertum Archiepiscopum Moguntinum.*

**N.** Seruus seruorum Dei Adalberto, venerabili fratri Moguntino Archiepiscopo, & Apostolicæ Sedis legato, salutem & Apostolicam benedictionem.

Scimus quidem zelum Dei vos habere, quem tamen salua charitate condire debetis, vt nihil indiscretè, sed omnia rationabiliter, & secundum Deum agere valeatis. VVirzurgensis quippe Ecclesiæ designatus Episcopus se à vobis cõtra iustitiam grauari, & præiudicium sustinere, querelas nobis deposuit: quod ipsum neq; accusatoribus, neque testibus legitimis conuictum, neque sponte confessum, neque Canonicè examinatum, tanquam Ecclesiæ inuasorem, in qua se electum asseruerat, & Simoniacum pronunciatum, communionè Ecclesiastica priuaueritis. Quod si ita est, fraternitatem vestram à Canonicis regulis diuinitus inspiratis, liquidò constat deuiasse. Ait enim sacra Canonum auctoritas, adimi Episcopo Episcopatum non debere, antequam causæ eius exitus appareat. Item exempla Felicis Papæ scripta Athanasio, & cæteris Episcopis in Alexandrina Synodo congregatis. De iudiciis Episcoporum, vnde nos consuluistis, diuersas à Patribus regulas inuenimus constitutas. Quidam enim ad repellenda impetitorum machinamenta, & suas præparandas responsiones, & testes confirmandos, & Concilia Episcoporum qua-

Pp 3 . . . . . renda,



renda, annum & sex menses mandauerunt concedi. Quidam autem annum, in quo plurimi concordant. Minus verò quam sex menses non reperi; quia hæc Laicis indulta sunt: quanto magis Sacerdotibus. Induciæ namque non sub angusto tempore; sed sublongo spacio concedendæ sunt, vt accusati se præparare, & testes parare, atque contra insidiosos se pleniter munire valeant. Iudices autem & accusatores tales esse debent, qui omni careant suspitione, & ex charitatis radice, suam desiderent sententiam promere.

## XXVII.

*Epistola Adalberti Archiepiscopi ad Innocentium Pontificem.*



N. Sanctissimo & vniuersali Papæ, Adalbertus Dei gratia sanctæ Moguntinæ Ecclesiæ humilis minister, & Apostolicæ sedis Legatus, debitam vt tanto Apostolico obedientiam, & deuotissimam vt tanto Patri reuerentiam.

Acceptis sanctitatis vestræ literis super causa fratris illius, si tamen frater dici debet, qui sibi sanctæ Virzeburgensis Ecclesiæ Episcopatum vsurpat. Intelleximus totius causæ ordinem longè aliter, quàm se veritas habet summo Apostolatu vestro innotuisse. quia, multa solent per surreptionem fieri. Idem namque sanctitati vestræ contra nos querelas deposuit, dicens, se à nobis præiudicium sustinere, & contra iustitiam prægruari. Nos verò in hac causa, Deo teste, & conscientia nostra nihil egimus, quod Canonicis regulis possit obuiare; nihil vnde sanctitati vestræ suspecti esse debeamus: nihil vnde aliquis, qui causam ipsam plenius tractauerit, possit nos reprehendere. Sed quidquid in hac causa egimus, non zelo amaritudinis, sed zelo iustitiæ, nõ aliquo odio permoti, sed officij intuitu: non contra sanctorum Patrum Canones, sed secundum Canones egimus.

Scimus quidem iuxta sanctorum Patrum regulas diuinitus inspiratas, Episcopo Episcopatum adimi non debere; antequam